



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

LIII. Saulis in regem Hebræorum electio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

id, quod invito à cœlo petitur, male peti, de quo
mox infra; ubi reliqua quoque Samuelis gesta per-
sequemur.

NARRATIO LIII.

SAULIS IN REGEM HEBRÆORUM ELE-

CTIO. 1. Reg. 9. 10. 11. 12. Anno Mundi
2962. Ante Christum. 1091.

SAulem producimus, exordiô suû lætum, mediô
varium, exitu lacrimabilem, & execrandum.
Non enim perinde, ac orienti Phæbo, usque
cadenti; ridet vultus. Israëlitæ, ut suprà memo-
ravi, cùm nollent amplius per ora *Iudicum* sibi
iura dari, Samuelem, qui Prætoriam Præfectu-
ram ultimus administrârat, adeunt, & *Regem*,
cæterarum more gentium sibi præfici postulant.
Quem dum ille circumspicit; fatorum tunc ignaro,
non tam *Casus*, quàm mirifica *Providentiæ* cælestis ma-
nus obtulit. Erant *Ciso*, Saulis parenti, *Gabæ* civi,
complures ad fæturam, & vecturas asinæ, quarum,
ut saltuosus in locis sit, per incuriam pastoris, nume-
rosa pars aberrârat ab armento. Saules comite
servorum uno, requisitis necquicquam per varia lo-
ca jumentis, in Samuelem Vatem incidit, ac super
asinarum statu consulit. Hic jubet eum securum
esse pecudum, & animum ad potiora destinata, re-
positaque Palæstinæ bona porrigere; quippe mox
fu-

futurum Regem. Simulque DEI tam in eum benefici timorem ac reverentiam ingentem iterum iterumque commendat, & inculcat. Exin Saulem, arbitrò jam nullò, in secessu quodam suburbij *Ramath*, regem sciscit, & inaugurat, super capitis verticem aliquot effusis olei guttis, addens, DEI se, non suis auspicijs agere, quidquid eorum ageret, Post impensum genis illius osculum, cum erexisset humò trementem, ac rei novitate palpitantem, vaticinijs diversissimorum eventuum animat, monétque graviter, ut meminerit, quantocunque premeretur hostilitatis articulò, ne *Sacræ* pecudis, aut aræ, sacrificiique quidquam, nisi se præsente, sacrificandique ritum præscribente, rex attingeret; vel ipsa religionis omissione, religiosius esse litaturum. Ita valedicto *Ramatham* ipse; *Saules Gabaam*, repetituri, viæ se dabant.

Dictu mirandum! Vix à Samuele digressus erat *Saules*, cum rus omne pectoris, ac morum, excuti momentò, dilabique; regio è diverso spiritus & indolem, in se intrare sensit. In reditu domum reversus, fortuitò offendit in Cantorum *Propheticum* agmen, quibus se associans, repentè mirum psalteri inter psallentes egit. Inde comitijs à Samuele *Maspham* urbem indictis, & fortibus super eligendo Rege ductis ex urna, fors Tribus Benjaminæ, & in ea ante omnes, nomen Saulis, divina temperatione emerfit. Is non ignarus, regnorum securiorem aditum nullum esse, quàm qui fieret per regni fugam, in pedes & latebras se coniecit; ex quibus extractus, & in populi medium productus, cum proceritate corporis, humerorum, capitéque tenus, omnium altitudinem

superaret: primò confestim suū aspectu, cunctis speciem approbavit suam, præjudiciò futuræ majestatis, etiam è corporis magnifica forma plebeios animos, & opiniones occupante. Solutis Masphæ comitiis, & sortitiōne Regis, Saules, qui necdum omnis populi sibi conjunctos & obnoxios animos experiebat, ad privatæ fortunæ conditionem tantisper se recepit; nec eum puduit ad pristinam agriculturam reverti, exemplo posteris seculis imitabili.

Interea subitæ tempestatis more Rex Ammonitarum *Náases* ingenti cum exercitu in Galaaditidem regionem effusus, *Iabessam* urbem, operibus, sitúque loci munitam, tanta vi oppugnat, ut deditionem paciscentibus, non alia fuerit conditio proposita, quam ut singuli civium, dextrum oculum præbeant exsculpendum. *Iabessitæ* impetratis septem dierum induciis, Legatos *Gabaam* ad regem novum dimittunt, suppetias rebus in arctis rogaturos. Fortè Saules ab aratro domum redibat, boves ante se geminos agens; qui intellecta Iabessitarum calamitate, confestim ex Aratore, fortissimum se populi sui Ducem, gentisque Regem ostendit; irruente in eum Spiritu cœlesti, qui veteres gentis illius heroas stimulavit, nam protinus, universo Civium adstante, spectantéque cætu; arrepto, quem casus obtulerat, acinace militari, boum suorum utrumque mactat, diffecátque complures in partes; quas totidem ad ministerium illud delectis baiulis partitur, per omnem circumquaque Palæstinam circumferendas; additâ denuntiatione cladis, ac vastationis domesticæ, si quis decreto adversus Ammonitas bello; prælióque defuisset: Convenère mox

ad imperium Regis trecenta triginta pugnatorum millia. Pridie, quàm septiduum induciarum exierat, Saules Amonitarum adoritur castra; prorumpunt è portis quoque ac manibus animosè Jabesitæ. Fit in hostes, partim sopitos partim semisomnes & incompósitos, atrox ex omnibus undique partibus proelium: ora fodiuntur & oculi (id quod minati fuerant Hebræis) si qui congregi sustinuissent ex adverso. Sed paucis hostium tantum animi fuit ad resistendum; plerique ne primo quidem Israëlitarum impetu sustentato, vel prælii tentatâ fortunâ, paventes, & inermes fugæ se mandare, vel, si qui cum armis venissent, ijs abjectis, ad salutem in latibulis ac saltibus quærendam, omnes in partes, incerti dispergi: deviâque petere, cùm pervia nulloquam invenirent, ut jam non prælii, vel certaminis, sed laniæ facies in castris esset, ne uno quidem, qui gladium levaret, in acie superstiti, aut fugâ.

Hoste debellato, Samuel Vates, & Saules Rex, lætas inter acclamationes, & triumphales plausus, cum populo *Galgala* urbem ad ineunda nova regni auspicia se conferunt. Ibi de novo Rex inungitur, regni que insignibus induitur; populus Sacrificijs, & epulis dat operam; Samuel ingratis exprobrat divina beneficia, nimis quàm sæpe maleficijs repensâ, in eo, quantum cœlestis indignationis promeruerint, demonstrat prodigiosa, repentinâque, sudò cælò concitata tempestas, suscitatis enim momentò procellis, omne cæli lumen extinguatur; nubi- bus & caligine densissimâ, dies in faciem noctis in- horrescit, tonitruis insoliti tumultus, atque fulge-

tris insuetæ formidinis, sævit aër: mistæque fulminum
iactibus, immanes pluviae, spissaque grando, tecta
domuum, strataque platearum persultant; unô-
que temporis articulo, Galgalorum urbs, locaque
finitima diu prius sicca, latissimè diffusis undis, tanquã
maris æstu stagnant. Tenduntur supplices Samuelima-
nus; hic satis formidinis salutaris pertinaci, genti iniec-
tum ratus, quibus precibus concitaverat tempestatem
ijsdem serenitatem cœlo, & percussis terrore mor-
talibus tranquillitatem reduxit. Post quæ, nunquam
Regi seneque multitudini, vel suis ad DEUM votis, vel
fidei consilio defuturũ, quoad in officio permanerent
ipsi, contestat, universos, ne recederent ab incorrup-
to, sinceroque DEI cultu; nisi Regem pariter atque Reg-
num pessum ire vellent, novissimè, gravissimèque
cohortatus est. Id promittentibus omnibus, quod
erant præstjuri pauci: Ramatham Samuel; Gabaan
Rex Saules; populus suam quisque domum repe-
tunt: omnes non minùs belli gloriã quàm spolijs,
ovantes & opulenti. Saules primò imperij bien-
niò charus mortalibus, Charior longè DEO, quip-
pe qui mentis innocentiam, animique demissionem,
fraudis ac fastûs ignarus, Divinæque Legi per om-
nia morem gerens, egregiam præ se, tulerit; fe-
licissimus Principum, si quo pede cœpit, eodem
progressurus fuisset. Sed quia bene inchoatis constan-
tia defuit, se familiãque suam in exitium præci-
tavit. Id qua ratione contigerit, se-
quenti narratione expediemus.

